





XCII.

9

1741/11

16

DE
TESTAMENTO PVBLICO
QVOD FIT APVD ACTA
 PRAESIDE
FRANCISCO CAROLO
CONRADI

IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE

A. D. XVIII. MARTII MDCCXXXI.

IN IVLEO MAIORI

DISPVTABIT

CHRISTOPHORVS IACOBVS BOSSE

BRVNSVICENSIS.

HELMSTADII

TYPIS IOH. DRIMBORN.

1741 (2 in. un. vic. 265)



TESTAMENTUM D. CAROLI

IN HOC TESTAMENTO

TESTATOR

D. CAROLUS

TESTATOR

IN HOC TESTAMENTO

D. CAROLUS

TESTATOR

TESTATOR

D. CAROLUS

TESTATOR

TESTATOR

D. CAROLUS



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

*Testamentorum, quae a
pud acta sunt, origo
non a comitiis curia-
tis, §. I.*

*Testamenta haec conden-
di ratio distincta a pu-
blicatione testamenti
antea conditi, §. II.*

*An ea in locum testa-
menti per aes & li-
bram successerint au-
ctore CONSTANTINO
M. §. III.*

*Eorum causae: difficultas
testandi per aes & li-
bram, & periculum a
testibus, §. IV.*

*Rationes, ob quas fides a-
ctorum sufficere visa
est HONORIO, §. V.*

*An apud acta cuiuscum-
que iudicis, testatoris*

*arbitrio, testari per-
missum, §. VI.*

*Testamenta post mor-
tem testatoris publi-
canda erant, ubi facta
fuerant, §. VII.*

*Testamentorum, donatio-
num &c. insinuatio a-
pud Magistrum cen-
sus facienda in vira-
que Vrbe regia. Insi-
nuationes in provinciis
ubi faciendae ex lege
CONSTANTINI M. ex
constitutione THEO-
DOSII II. & LEO-
NIS, §. VIII.*

*Eaedem constitutiones ad
publicationem testa-
mentorum pertinent,
§. IX.*

*An de insinuatione dona-
tio-*

tionum aliter statutum
a IUSTINIANO in
l. 27. C. de donat.
§. X.

Liberam iudicis, apud
quem quis testetur, e-
lectionem esse, confir-
matur, §. XI.

Ratio, cur insinuatio do-
nationum & testa-
mentorum in Vrbe per-
tinuerit ad Magistrum
census, in provinciis ad
earum Rectores &
magistratus municipa-
les, §. XII.

Acta, dum condebatur te-
stamentum, consicie-
bantur ab actuario,
vel exceptore & in
praesentia adfessorum,
§. XIII.

Refellitur dissentientium
argumentum a testa-
mento Principi oblato
ductum, §. XIV.

Remouetur obiectio, quod
de solemnitate Gesto-
rum consiciendorum iu-
re Iustiniano nihil de-
finitur, §. XV.

Nullis testibus opus in te-
stamento, quod fit apud
acta, §. XVI.

Testamentum vel apud
acta nuncupatur, vel
scriptum actis insinua-
tur, & quomodo,
§. XVII.

An testamentum apud a-
cta fieri possit per pro-
curatorem, §. XVIII.

Testamenta, quae hodie
fiunt apud acta, quate-
nus secundum ius Ro-
manum iudicanda
sunt, §. XIX.

Mos faciendi testamen-
tum domi coram iudice,
vel adfessoribus,
unde fit, & quae in
eo obseruanda,
§. XX.

DE



DE
TESTAMENTO PVBLICO
QVOD FIT
A PVD ACTA.

§. I.



estamenta, quae Principi offeruntur, *Testa-*
in eorum, quae calatis comitiis olim *mento-*
fiebant, locum successisse, existima- *rum, quae*
uit VIGLIVS *ad §. 1. Inst. de te-* *apud a-*
sta. ordin. n. 7. Cum enim popu- *cta sunt,*
lus lege regia omne imperium in *origo, non*
Principem contulerit, testamentum coram eo, tan- *a comi-*
quam coram populo factum, hodie etiam obtinere: *tis cu-*
vt vetus ille testandi modus non penitus sublatus, *riatis.*
sed solum mutatus videatur. VIGLIVM secutus
A VIN-

2 DE TESTAMENTO PUBLICO

VINNIVS *ad Inst. l. c. n. i.* addit, idem etiam de testamento, quod in acta magistratus municipumue refertur, dicendum esse: quia et ipsum publica fide fiat & quasi totius ciuitatis. Vtramque coniecturam merito notat Ill. HEINECCIUS: quoniam complura ante saecula obsoleuerant testamenta in comitiis condi solita, cum haec testamenta Principi vel magistratibus oblata inuenirentur. Neque enim antiquior eorum memoria, quam in *l. 19. C. de testam.* occurrit, quae est HONORII constitutio, & in VALENTINIANI *Nouella IV. de testam. l. 1.* Testamenta vero calatis comitiis fieri desierant post leges XII. tabularum conditas: quia, cum lex generaliter cuique patrifamilias potestatem legandi fecisset super pecunia sua, *l. 120. D. de verb. signif. iam non opus erat aliqua lege speciali, puta lege curiata, ut testamentum fieret, & cum eadem lege XII. tabularum testator ipse legare posset, non erat iam necesse, ut populus testamentum patrisfamilias scisceret*, quae sunt verba EM. MERILLII *ad §. i. Inst. de testam. ord.* His recte adiungemus auctoritatem VLPIANI *Fragm. Tit. XX. §. 2.* vbi testamentorum generibus, quae olim fuerunt, expositis, *illis DVOBVS TESTAMENTIS, vno quod calatis comitiis, altero quod in procinctu appellatum est, ABOLITIS, HODIE SOLVM IN VSV EST, inquit, QVOD PER AES ET LIBRAM FIT, id est, per mancipationem ima-*

imaginarium. Non dixisset *abolitum*, quod in comitiis fiebat, testamentum, si tantum fuisset mutatum, vt VIGLIVS censet: sicut *adoptionem*, quae per *populum* fiebat, non dixit *abolitam*, verum eius, tanquam adhuc vigentis, meminit *Tit. VIII. §. 2. ff.* quae iam certe Principis auctoritate peragebatur.

§. II.

Erat quidem VLPIANI aetate publicatio testamentorum in vsu, quae fiebat *apud gesta* siue acta publica: quando testator supremae suae voluntatis tabulas, alibi rite conditas, publicabat & apud magistratum ius actorum conficiendorum habentem insinuabat, hoc fine, vt authentico amisso ex actis publicis testamenti fides peteretur. Ad quam testamenta publicandi rationem pertinet rescriptum ALEXANDRI in *l. 2. C. de testam. Publicati semel testamenti fides, quamuis ipsa materia, in qua primum a testatore scriptum relictum fuit, casu, qui probatur, intercidit, nibilo minus valet.* Formam huius publicationis cognoscere licet ex MARCVLFI Monachi *Lib. II. Form. 37.* vnde porro intelligitur, eam haud diuersam fuisse ab illo testamentorum publicandorum more, quo post mortem testatoris referabantur & recitabantur, cum, vt SYMMACHVS *Lib. X. epist. 55.* ait, *testamenti iure confecti fidem recitatio publicaret,* cuius ritum describit PAVLVS *Sent.*

Testamenta haec condendi ratio distincta a publicatione testamenti antea conditi.

A 2

Recept.

DE TESTAMENTO PVBLICO

Recept. Lib. IV. Tit. VI. §. I. f. Verum ab ista testamentorum antea cum solemnitate legitima conditorum insinuatione omnino differt ea, qua in l. 19. C. de testam. SECVRVS ESSE dicitur, QVI ACTIS CVIVS-CVNQVE IVDICIS, AVT MVNICIPVM, AVT AVRIBVS PRIVATORVM MENTIS SVAE POSTREVM PVBLICAVIT IVDICIVM. His enim verbis publicatio testamenti apud acta aequiparatur nuncupationi testamenti coram priuatis testibus, ita quidem, vt eodem modo securitatem, ne de eius successione tractetur, obtineat, qui alterutro modo testamentum fecerit. Vnde satis constat, non de publicatione probationis causa, sed de ea, qua testamenta conderentur, hic sermonem esse. Omnem vero dubitationem eximit Nouella VALENTINIANI IV. l. 1. verbis: *Liceat cunctis iure civili atque praetorio, liceat per nuncupationem, liceat MVNICIPALIBVS GESTIS IVDICIA SVPREMA COMPONERE.* Conferantur, quae de tribus publicandi testamenti speciebus distinguendis habet IAC. GOTHOFREDVS ad l. 4. C. Th. de testam. & codicill.

§. III.

Si CVIACIVM ad t. D. qui testam. fac. poss. & MERILLIVM ad §. 1. Inst. de testam. ord. audiamus, testamenta per aes & libram CONSTANTINVS M. in l. 15. C. de testam. aboleuit. Vnde coniectu-

*Ea num
in locum
testamen-
ti per aes
& libram*

lecturam capere liceret, hunc ipsum Principem auctorem extitisse, vt in locum mancipationis illa testamentorum compositio apud acta introduceretur. Verum IAC. GOTHOFREDVS ad l. i. C. Th. *de testam.* ostendit, neque d. legem 15. esse CONSTANTINI M. sed CONSTANTII, neque ea lege testamenta per aes & libram, horumque solennia sublata fuisse, & verba legis: *Ademptis his, quorum imaginarius est vsus*, prorsus alio spectare, quam CVIACIO visum, nempe ad scrupulosas & typicas inanesque heredum instituendorum formulas: denique post CONSTANTINVM M. sub ARCADIO adhuc *quinque testium, l. 3. C. Theod. d. t.* & sic testamentorum per aes & libram vsum perstitisse. Et falli omnino eos, qui mancipationem a CONSTANTINO M. sublata autumant, ex mancipationis donationi additae vestigiis apud CASSIODORVM *Lib. VIII. Var. form. 25.* probauit FRID. BRVMMERVS, idemque certioribus monumentis alio tempore confirmatum dabitur.

successerint auctore
CONSTANTINO M.

§. IV.

Iraque videtur nobis testamentorum apud acta conditorum origo esse partim a difficultate conuocandi testes, ad mancipationem necessarios, partim a metu, dum sua quisque nonnunquam iudicia publicare formidabat, dum testibus testamenti sua non audebat

Eorum
causae:
difficultas
testandi
per aes
& li-

A 3

debat

bram, & *debat secreta committere, ne suis facultatibus inbiantes*
 pericu- *offenderet, quod euenisse ait THEODOSIVS in*
 lum a te- *Nouella IX. de testamentis, postquam iuris antiqui cau-*
 stibus. *telam paulatim mutauerat posteritatis imperita prae-*
sumptio, & testes exigebant omnino, quae testamento
continerentur, agnoscere. Vtrique incommodo re-
medium inuentum erat, dum suprema iudicia publi-
cabantur apud acta publica cuiuscunque iudicis, aut
municipii. Ea enim dum conficerentur, semper
praesto esse oportebat honestos viros, vt eos PAV-
LVS appellat Sent. Recept. Lib. IV. Tit. VI. §. 2. Imo
vero HONORIVS l. 151. C. Th. de Decurion. ge-
storum in municipiis conficiendorum solennitatem
hanc praescripsit, vt ea non aliter fierent, quam quin-
que personarum praesentia, nempe trium principali-
um, siue summatum inter curiales cum magistratu
i. e. duumuiro, aut defensore plebis & exceptore
publico, qui negotiorum acta perscribebat: eaque
constitutio legem 19. C. de testam. septemdecim annis
praecessit. Hunc personarum numerum sicut in
actorum testificatione semper obseruare oportebat:
ita promptum erat omni die, quo ad iudices aut
magistratus municipales aditus patebat, testa-
mentum coram illis nuncupare. Verum etiam in
his personis cessabat timoris ac suspitionis causa,
quae saepe alias obstabat, quo minus homines aude-
rent, suprema ordinaturi, testium fidem eligere ob-
 lata-

latarumque eis tabularum postulare testimonium sibi perhiberi. Cessabat simul periculum, ne solennitate aliqua omiſſa testamentum non iure factum diceretur. Denique nec verendum erat testatori, ne tabulae testamenti vel interciderent, vel malam corruptoris, siue falsarii manum experirentur, dum in archiuo seruabantur. Cum igitur tam multiplici ratione securus esset, qui supremæ voluntatis suæ iustam sententiam hoc modo apud acta publicasset, mirum non est, hoc genus testamenti ita se commendasse HONORIO, vt illud inter *testamentorum compendia generali lege*, quod VALENTINIANVS cit. Nou. ait, *complexus*, sua constitutione d. l. 19. C. de testam. firmaret.

§. V.

Enimuero absouum videbatur Principi, qualem *Rationes, ob quas fides actorum sufficere visa est HONORIO.* HONORII genium pingit laudatissimus GOTHOFREDVS ad l. 3. C. Th. de inoff. testam. qui anti- qui iuris subtilitatibus bellum indicere solitus erat, publica actorum fidem non equiparari priuato- rum testimonio, quorum auribus nuncupationem suæ voluntatis testator commiserit, & cum, authen- tico amisso, testamenti exemplo, quod apud acta re- peritur, standum sit, haud sufficere ad testamentum condendum solennitatem eorundem actorum, ma- xime vero postquam l. 151. C. Th. de Decurion. frau- di non patere sinebat occasionem & veritati maior cre-

DE TESTAMENTO PVBLICO

creuerat auctoritas: imo postquam per hanc legem in conficiendis actis municipalibus semper is numerus personarum praesto erat, vt ad veterem formam testandi iure ciuili nihil praeter inane mancipationis ludibrium deficere appareret.

§. VI.

An apud acta cuiuscumque iudicis, testatoris arbitrio, testari permixtum? *Actis cuiuscumque iudicis, aut municipum, recte publicari testamenta, ait HONORIVS, & licere municipalibus gestis iudicia suprema componere, clarissus pronunciat VALENTINIANVS, ex cuius verbis intelligimus, in l. 19. C. de testam. illa, aut municipum, non esse referenda ad id, quod sequitur de nuncupatione testamenti priuatorum auribus publicanda, sed ad testamentorum apud acta municipalia publicationem. Quae cum ita sint, omnis generis iudicem seu magistratum, qui gestorum conficendorum potestatem habeat, accipiendum esse, nulla ambigendi ratio existit. Non item sine ratione ambigitur, vtrum insinuatio fieri possit, apud quemcunque plane iudicem, quem testator elegerit, an vero eius arbitrium sit ad iudicis ordinarii acta restrictum? quam quaestionem docte disputare meminimus V. C. GE. CHRIST. GEBAVERVM in praestantissima commentatione de Iurisdictione cap. I. §. 7. Ibi vulgatae doctrinae, qua donationum ac testamentorum insinuatio voluntariae iurisdictioni accense-*

cenfetur, contrariam fententiam haud exigui ponderis argumentis communiuit Vir Celeberrimus, quibus conuellendis minime fufficiunt ea, quae Cl. IO. GVIL. HOFFMANNVS oppofuit *Meletemat. ad Pand. Differt. III. §. 1.* Neque enim verba, *cuiuscunque iudicis*, neceffitatem ordinarium vniscuiusque testatoris iudicem adeundi excludunt, neque statim inferre licet, quoniam actis municipalibus infinuata voluntas testatoris firmitatem obtinet, ergo apud cuiuscunque municipii acta, vbicunque quis elegerit, recte fieri infinuationem. Certe quod DIONYS. GOTHOFREDVS ad voces, *cuiuscunque iudicis*, notauit, *fui tamen*, non deftituitur fpeciofa ratione ex *l. 18. C. de testam.* petita: ficut Magiftri census in Vrbe regia, tanquam ordinarii iudicis, in testamentorum infinuatione obferuanda fuerit auctoritas, ita & ordinarii cuiuscunque iudicis eandem rationem fuiſſe in aliis ciuitatibus. Denique nec testimonium THEODORI Ἐρμεπολίτη aliquid vltcrius probat, quam in testamentis & donationibus infinuandis idem omnino ius obtinuiffe. Ait enim, quae eius verba Cl. HOFFMANNVS adduxit: Ἅν γνoμέναι πράξεις ἐπὶ τῶν δωρεῶν ἐν κοιναντινεπόλει μὲν παρὰ τῷ μαγίſτρῳ τῶν κήſων, ἐν δὲ ταῖς ὑπαρχίαις παρὰ τῷ ἀρχοντὶ ἢ τῷ ἐκδίκῳ ἢ τῷ στρατηγῷ συνταττέδωσαν - - Μένηſο δὲ τῆς ἐιρημένης ὁμῶς διαιρέſεως περὶ ἐμ. Φανείας διαδήκων. *Acta, quae fiunt in donationibus, Con-*

B

ſtan-

stantinopoli quidem apud Magistrum censuum, in prouinciis autem apud Praesidem prouinciae, vel defensorem, vel magistratum municipalem conficiantur. - Memineris autem eiusdem iuris obseruantiam circa testamentorum insinuationem. At vero de donationibus hoc ipsum est in quaestione, num iure Romano cuiuscunque, prout donatori libuerit, iudicis actis recte inferantur? Itaque haec res curatiorem tractationem poscit.

§. VII.

Testamenta post mortem testatoris publicanda erant, ubi facta fuerant. Ac primum quidem eam testamenti publicationem, quae fiebat post mortem testatoris, peragenda esse eodem in loco, ubi testamentum erat conditum, patet ex eo, quod PAVLVS *Sent. Recept. Lib. IV. Tit. VI. §. 2.* docet, *testamenta in municipiis, coloniis, oppidis, praefectura, vico, castello, conciliabulo facta, ibidem in foro, vel basilica, praesentibus testibus, vel honestis viris, recitari debere, exemploque sublato ab iisdem rursus magistratibus obsignari, quorum praesentia constat aperta.* Vetus tum hunc morem ibi referendi ac publicandi defunctorum voluntates supremas, ubi factae fuerunt, Constantinopoli retineri iussit ARCADIVS l. 18. *C. de testam.* quae in *Cod. Theodos.* est l. 4. *ei. iit.* Nimirum, vt aperirentur testamentorum tabulae apud acta Magistri census, ubi a testatoribus publicatae, id est insinuatae siue depositae fuissent. Ita enim constitutio

tutionis verba concepta sunt: *Testamenta omnium* (Cod. Iustin. *omnia*) *ceteraque, quae apud officium censuale publicari solent, in eodem* (Cod. Iust. loco) *referentur:* (Cod. Iust. *referentur:*) *nec usquam permittatur fieri vlla translatio.* MOS namque RETINENDVS EST FIDELISSIMAE VETVSTATIS, quem si quis in hac Vrbe voluerit immutare, irritam mortuorum videri faciet voluntatem. Esse hanc, quam dedimus, explicationem multo planiorem ea, quam eximius interpres Codicis Theodosiani ad h. l. primo loco ponit, cuilibet vtramque comparanti facile apparebit. Quin & ipse GOTHOFREDVS *ibidem* in fine de intellectu, quem proposuerat, dubitanter statuit & fere nobiscum facit. Saltem propter duas voces, *referentur* & *translatio*, id in huius legis specie quaesitum videri posse censet, *an testamentum alibi, seu apud alium, quam apud quem publicatum seu insinuatum semel a defuncto fuerat, aperiri postea seu referari eo translatum possit, & quidem siue in eadem vrbe, siue alibi.* Fuisse autem publicationem illam testamentorum ad officium siue acta Magistri census in Vrbe Constantinopoli (& similiter in Vrbe Roma) constitutionibus Principum iam olim adstrictam, diferte ait IVSTINVS in l. 23. C. de testam. CONSVLTA DIVALIA, quibus CONSIDERATE PROSPECTVM est, NE VOLVNTATES VLTIMAE deficientium in hac regia Vrbe confectae, APVD ALI-

VM APERIRI POSSINT, QVAM APVD VIRVM
 CLARISSIMVM *pro tempore* CENSVS MAGISTRVM,
monumentis interuenientibus pro iuris ordine - - -
firma nunc quoque dicimus: ac repetita promulgatione
non solum iudices quorumlibet tribunalium, verum
etiam defensores Ecclesiarum, quos turpissimum inti-
mationis genus irrepserat, praemonendos censemus, ne
rem attingant, QVAE NEMINI PRORSVS OMNI-
 VM SECVNDVM CONSTITVTIONVM PRAECE-
 PTA, QVAM CENSVS MAGISTRO, *competit. Quin*
 & poenam propositam fuisse heredibus, publicatio-
 nem testamenti ad alium iudicem siue magistratum
 transferentibus, non quidem vt in totum irrita fieret
 defuncti voluntas, quod CONTIO placuit, sed vt
 beneficio & fructu voluntatis testatoris priuarentur,
 & de tali poena exaudienda esse verba ARCADII
 paulo obscuriora: *Quem morem si quis in hac Vrbe*
voluerit immutare, irritam mortuorum videri faciet
voluntatem, iam animaduertit GOTHOFREDVS
ad d. l. 4. C. Tb. Cuius poenae in locum IVSTI-
 NVS *d. l. 23. multam L. librarum auri temerato-*
 ribus imposuit, saluo vndique testamento, nec ob
 incongruam refectionem vlla ex parte euertendo:
Nec enim concedendum est, inquit, vt suprema vota de-
ficientium euerfionis quidquam ex incongrua insinua-
tione contrabant, dum res ab incongruis, (ad quorum
 officii-

officium talis actus non pertinet,) *vsurpantur au-*
dacler.

§. VIII.

Enimuero testamenta, *ceteraque*, vt ait AR-
CADIVS, hoc est donationes, contractus, tradi-
tiones apud Magistrum census in vtraque Vrbe Ro-
ma insinuari oportebat, id quod de omnibus, quae
in alterutra Vrbe regia confecta siue conscripta es-
sent, intelligendum esse, satis constat ex l. 8. C. Th. &
l. 30. & 32. C. de donat. quae sunt constitutiones
THEODOSII Iunioris, LEONIS & ANA-
STASII. Ita nimirum verba in priore illa THE-
ODOSII constitutione, *in hac quidem Vrbe apud*
Magistrum census, declarauit LEO: *In hac sacra-*
tissima Vrbe conscriptae donationes vbicunque posita-
rum rerum, apud Magistrum census insinuentur: quam
LEONIS constitutionem diserte confirmauit A-
NASTASIVS: *Secundum Diui Leonis constitutio-*
nem donationes apud virum clarissimum Magistrum
census tantummodo insinuari praecipimus: huiusmodi
forma in illis instrumentis obseruanda, quae in hac re-
gia Vrbe confecta seu celebrata fuerint. Porro in
prouinciis donationes insinuare, siue *donationum in-*
strumenta apud acta allegare, vnumquemque donato-
rem CONSTANTINVS M. in l. 3. C. Th. de do-
nat. iussit, *apud suum ordinarium Iudicem i. e. Recto-*
rem prouinciae, vel si eum abesse contigerit, apud cu-

Testa-
mento-
rum, do-
nationum
& c. insi-
nuatio
apud Ma-
gistrum
census
facienda
in vtra-
que Vrbe
regia.

Insinua-
tionem do-
natio-
num in
prouinci-
is: vbi fa-
ciendae
ex lege

CON-
STAN-
TINI M.

ratorem municipalesue eiusdem ciuitatis, & quidem eo loco, in quo domicilium habuerit atque possessiones constitutae sunt: addita ratione: Ne alioquin, quod fieri solebat, multi aliena, aut ad se non pleno iure pertinentia donent, extra patriam & prouinciam, in qua possident, acta conficientes. Verum huic sanctioni

ex consti-
tutione
THEO-
DOSII II.

derogauit THEODOSIVS II. in l. 8. C. Th. eod. qua curatores ciuitatum ab insinuationum negotio excludit, easque, si ciuitas ea vel oppidum, in quo donatio celebratur, non habeat magistratus, apud defensorem plebis, in qualibet ciuitate fuerit repertus, fieri iubet, vtque gesta confici super rebus, ETIAM ALIBI COLLOCATIS, VBICVNQVE sufficiat, ita, vt traditio corporalis in locis, vbi res donata consistit, omnimodo celebretur. Ex his, quae praecedunt, facile perspicitur, verbum *vbicunque* opponi loco, vbi res donatae collocatae sunt, atque intelligendum esse *quemcunque locum, in quo donatio celebratur*: cum ad eum finem, quem CONSTANTINVM sua legislatione intendisse diximus, sufficere videretur, traditionem fieri in loco rei sitae. Iam si LEONIS constitutionem

LEO-
NIS.

in l. 30. C. de donat. quantum ad prouincias pertinet, inspicimus, nihil eum mutasse deprehendimus, praeterquam quod necessitatem, apud Rectorem prouinciae donationes insinuandi, si quidem is praesens esset, remiferit, eam, inquam, necessitatem, quam obseruari CONSTANTINVS iusserat in d. l. 3. C. Th. & de

de qua nihil mutauerat THEODOSIVS in *d. l. 8. ci. tit.* Hac necessitate adeundi ante omnes Rectorem prouinciae remissa, voluit LEO *l. 30. C. de donat. donatori liberam esse facultatem donationes rerum suarum ubicunque positarum, siue apud moderatorem cuiuslibet prouinciae, siue apud magistratus, siue apud defensorem cuiuscunque ciuitatis, prout maluerit, publicare.* Itaque & in hac lege verba cuiuscunque ciuitatis accipienda sunt de quacunque ciuitate, in qua donatio perfecta est: quod luculentissime confirmat sanctio ANASTASII in *l. 32. eod. nec concedi quenquam vel apud defensores, seu magistratus aliarum ciuitatum, vel in aliis quibuscunque locis* insinuare donationes in Vrbe regia celebratas: cum scilicet quidam id facere sustinissent, praetexentes, *ubicunque & cuiuscunque ciuitatis* magistratus actis insinuandi libertatem illis THEODOSII & LEONIS legibus permissam esse.

§. IX.

Idem omnino ius, quod in donationum insinuatione constitutum vidimus, etiam ad testamentorum apud acta publicationem pertinuisse, certo satis argumento adfirmare licet ex ARCADII constitutione in *l. 4. C. Th. de testam.* vbi testamenta pariter ac cetera, quae apud officium censuale publicari solent, in eodem referari iubentur: *referari* nempe, siue post mortem testatoris publicari, apud idem officium, vbi

Eadem constitutiones ad publicationem testamentorum pertinent.

a te-

a testatore viuo publicata siue gestis allegata fuerant. Verum etiam eam testamenti publicationem, insinuationem, siue allegationem, quae fiebat a testatore, olim peragendam fuisse in patria testatoris, siue in ea ciuitate, in qua domicilium habebat, colligere licet ex rescripto VALERIANI & GALLIENI in l. 2. C. quemadm. testam. aper. Ita enim Augusti rescribunt cuidam Alexandro: *Testamenti tabulas ad hoc tibi a patre datas, vt IN PATRIAM perferantur, adfirmans, potes ILLVC perferre, vt secundum leges moresque locorum insinuentur: ita scilicet, vt, testibus non praesentibus, adire prius vel pro tribunali vel per libellum Rectorem prouinciae procures, ac permittente eo, honestos viros adesse facias, quibus praesentibus aperiantur, & ab his rursus obsignentur.* Ex quibus verbis praeterea discimus, iam eo tempore *permissionem, siue auctoritatem*, vt dicitur a PAVLO *Sent. Recept. Lib. IV. Tit. IV. §. 2. vel iussum*, vt vocatur in §. 4. *Inst. de Atil. tut.* Rectoris prouinciae expetere necessum fuisse, priusquam testamentum aperire liceret, *praesentibus viris honestis*, vt iisdem verbis ait PAVLVS *Sent. Recept. Lib. IV. Tit. VI. §. 2.* Vnde porro intelligitur, quare CONSTANTINVS M. & THEODOSIVS II. demum *absente Rectore prouinciae* publicationem permiserint fieri apud *honestos viros*, id est, curatorem, aut magistratus municipales, siue, vt postea placuit, apud magistratum seu duumvirum ciuitatis,

tis, aut defensorem plebis, praesentibus curialibus. Hos enim *honestorum virorum* nomine significari apud PAVLVM, recte vidit PETR. FABER *Semeft. Lib. II. cap. 23.* Nimirum vt actis municipalibus faciendis adessent curiales praeter magistratum & exceptorem, non demum HONORIVS in *l. 151. C. Th. de Decurion.* induxit, sed, vt IAC. GOTHOFRE-DVS *ad h. l.* docet, quia publico infortunio ad paucos redactus erat ordinum numerus, trium principalem ex curialibus, nec pauciorum, praesentiam sufficere voluit. Et PAVLVM loqui de publicatione testamenti apud acta coram magistratu municipalis, ostendunt verba, quibus ait, *testamenta exemplo sublato ab iisdem rursus magistratibus obfignari, quorum praesentia constat aperta.* Quod vero LEONEM obseruauimus constituisse, vt non petita prius permissione, aut expectata absentia Rectoris prouinciae, statim liceret pro arbitrio donatoris, apud magistratum ciuitatis, aut defensorem plebis donationem insinuare: idem in testamentis obtinuisse clare ostendit IVSTINIANVS *Nouella XV. c. 3.* vbi, restituto defensoribus ciuitatum eo iure, quo olim gauisi erant, & *agi vult apud defensores testamentorum insinuationes & donationum, & quidquid aliud est monumentorum proprium: non valente clarissimo prouinciae Iudice prohibere, quod agendum est, aut praecipere, quia non velit aliquid agi, aut actum non edi: - - - vt siue ad-*

C

fuerit

fuerit ciuitatibus Iudex, siue non, nequaquam probibeatur quisquam agere apud defensores quaedam monumenta, in quibuscunque voluerit, praeter illa sola, quae iurisdictione egent & ex ipsa iudicum auctoritate pendent.

§ X.

An de in-
sinuatio-
ne dona-
tionum
aliter sta-
tutum a
IVSTI-
NIANO
in l. 27.
C. de do-
nat.

Possent mutationem induxisse videri IVSTINIANVS, vt donationes, etiam alibi factas, apud gesta cuiuscunque iudicis allegare liceret, prorsus vt libitum commodiusue donatori aut donatario fuisset: quoniam in l. 27. C. de donat. quae est CONSTANTINI l. 5. C. Th. eod. clausulam adiecit ex THEODOSII constitutione l. 8. C. Th. eod. desumptam: *Gesta autem confici super rebus ETIAM ALIBI COLLATIS vbicunque sufficit.* Pro, *collocatis*, vt est in d. l. 8. repositum esse noscimus, *collatis*: quod interpretandum videtur de donationibus alio loco perfectis, quibus res in donatarium collatae, vt eae quocunque alio loco apud iudicem vel magistratum quemlibet, ius actorum conficiendorum habentem, recte insinuari nunc possent ex voluntate IVSTINIANI, cum, vt supra §. VIII. diximus, ex THEODOSII lege eo certe loco, vbi perfectae fuerant, insinuari deberent. Verum nihil mutauit IVSTINIANVS: quin manifesto errore vulgo legitur *collocatis*, pro quo veram lectionem, *collocatis*, IVL. PACI-VS & PETRVS AB AREA BAUDOZA e manu scri-

nuscriptis codicibus in margine adnotarunt. Enimvero & alibi eundem in his verbis errorem a describentibus commissum esse, docuit IAC. CUIACIUS *Observ. Lib. XI. c. 15.* Minime etiam genius & mos IVSTINIANI tulit, vt ius nouum obiter vno verbo mutato per modum emblematis conderet, quem constat *nouitates suas introducere solere cum apparatu*, quod HVBERSVS in alio argumento bene animaduertit, *Praelect. ad Pand. Lib. XXVIII. Tit. VIII. n. 8.* praeunte GALVANO *de Vsufr. c. 31. sect. 9.*

§. XI.

Itaque in Vrbe regia donationes & testamenta aetate IVSTINIANI oportuit publicari apud officium Magistri census: in aliis ciuitatibus apud quemcunque iudicem siue magistratum, etiam municipalem, eius loci, in quo donatio celebrata, aut testamentum iure conditum fuerat. Quod de testamento diximus, nemo non videt conuenire tantum ei testamenti publicationi, quae fiebat ab herede, vel ab ipso testatore, qui supremas tabulas, testibus & reliqua solennitate adhibitis, scripserat. Neutiquam vero dici potest, eorum testamentorum, quae simul eodem actu componebantur, insinuationem siue publicationem lege adstrictam fuisse ipsi loco, in quo vel publice conficiebantur, vel priuatim & sine testium subfignatione conscripta erant. Illud enim si fiebat, vtique

Liberam esse iudicis, apud quem quis testetur, electionem, confirmatur.

C :

per

per rerum naturam locus publicationis a loco compositionis diuersus esse nequibat : hoc autem si maluisset testator, nulla omnino ratio cogitari potest, ob quam testator constringendus fuisset, vt voluntatis ambulatoriae consignationem, quae per se nihil stabilitatis habebat, & ab vno testatoris pendeat arbitrio, hoc ipso in loco, vbi eam voluntatem stilo mandasset, apud acta publicare cogeretur. Itaque in *l. 19. C. de testam. acta cuiuscunque iudicis, aut municipum*, sic accipienda esse patet, vt constitutiones, quas recensuimus, permittunt : vt proinde Romae & Constantinopoli testamenta & iam facta publicanda & publice condenda fuerint apud Magistrum census, extra Vrbes regias testamenta antea facta apud quemcunque iudicem siue magistratum aut defensores eius ciuitatis, in qua confecta erant, publicare oportuerit, ea vero, quae nunc primum apud acta fierent, prout elegerit testator, apud acta cuiuscunque iudicis, aut municipum condere licuerit. Et hoc sensu dixit THEODORVS HERMOPOLITES, idem ius obtinere in testamentorum, quod in donationum insinuatione, de qua id, quod supra (in fine §. VI.) in quaestione esse diximus, singulis Principum constitutionibus diligentius inspectis, & progressibus iuris inde explicitis, nunc demum extra dubitationis aleam positum esse opinamur. Rectius etiam nunc remouere licet argumentationem GOTHOFREDI Patris, quam specie

specie haud carere (eodem §. VI.) iudicauimus. E-
quidem quod ARCADIVS statuit in l. 18. C. de te-
stam. quae est l. 4. C. Th. eod. tit. testamenta, cetera-
que, quae apud officium censuale publicari solent, ibi
referanda esse, & quod subiicit, morem retinendum
esse fidelissimae vetustatis, sane per ea, quae §. VII. ad
interpretationem hui. leg. attulimus, haud inuita iu-
risprudentia ad prouincias trahuntur, maxime, cum
in his donationes apud ordinarium iudicem vel mu-
nicipes, in loco domicilii cuiusque donatoris, infi-
nuari iussisset CONSTANTINVS, (§. VIII.)
idem vero & in testamentorum insinuatione obser-
uandum fuisse appareat ex iis, quae §. IX. disputa-
uimus. At vero animaduertimus, in d. l. 18. agi de
publicatione testamentorum solenniter factorum &
apud officium censuale ab ipso testatore deposito-
rum, post huius mortem apud idem officium pera-
genda. Et quod CONSTANTINVS voluit,
donationes in loco domicilii, atque vbi possessiones,
quae donantur, constitutae sunt, insinuari, id per le-
ges postea secutas mutatum esse, harum vero dis-
positionem de donationibus ibi publicandis, vbi ce-
lebratae sunt, applicari testamentis, quae apud acta
sunt, haud posse, vidimus.

§. XII.

Illud non minus operae pretium erit, inquisi- Ratio,
C 3 uisse, cur infi-

*inuatio
donatio-
num &
testamen-
torum in
Urbe per-
tinuerit
ad Magi-
strum
censur,*

uisse, quae fuerit ratio, cur in vtraque Vrbe Roma testamentorum publicatio & insinuatio iam ab antiquo pertinuerit ad Magistrum census. Erant vero sub eius dispositione censuales, qui *officium censuale* in l. 18. *C. de testam.* dicuntur, quorum erat, descriptionem census cuiusque facere, vt secundum facultates ciuium tributa conferrentur & indictiones fierent, vt GVID. PANCIROLVS in *Notit. Imper. Lib. II. c. 10.* & *Thef. var. lect. lib. II. c. 151.* & IAC. GVTHERIVS *de Offic. Dom. Aug. Lib. III. c. 9.* docuerunt. Facile itaque intelligitur, in testamentis, donationibus & contractibus, quibus de dominio rerum transferendo agebatur, communem & eandem causam publicationis siue insinuationis apud officium Magistri census faciendae fuisse hanc, vt ei de bonis inter viuos vel per testamentum in nouos possessores translatis cito & accurate constaret. In prouinciis eam census describendi sollicitudinem agebant Rectores illarum, & in municipiis duumviri & defensores, quibus praesentibus censitores vel susceptorum bona ciuium scribebant, & qui in *polypychis*, vt libri censuales vocabantur, bona in territorio cuiusuis ciuitatis sita cum nominibus possessorum consignata seruabant, vt certissime constat ex actis municipalibus aevi Iustiniani & huic proximi, quae Viri insignes IO. BAPT. DONIVS *Inscript. Classe XIX. n. II. p. 409.* & *IV. p. 478.* & SCIP. MAFFEIVS

*in pro-
uinciis
ad earum
Rectores
& magi-
stratus
municipales.*

Hi-

Histor. Diplom. Append. num. II. p. 439. & VII. p. 157. protulerunt. Cum vero omnis professio & descriptio census, in prouinciis facta, tandem ad Magistrum census in vtroque imperio deferenda esset, haud obscurum est, quare rerum vbicunque in imperii occidentis aut orientis prouincia aliqua sitarum donationes, Romae aut Constantinopoli celebratae, ibidem recte insinuari potuerint apud Magistrum census. Olim vero, quamdiu vicesima hereditatum & liberalitatum extraneis relictarum obtinuit, ea maxime causa fuit, cur apud Magistrum census in Vrbe, & apud Rectores in prouinciis, testamentorum & donationum publicationes fieri deberent: quoniam his ex censuali descriptione de quantitate patrimonii testatoris vel donatoris, vnde soluenda erat vicesima, exacte constabat. Nam & ipsa lex vicesimaria, ab AVGVSTO lata, de aperiendis tabulis testamenti cauit, & Edicto D. HADRIANVS de vicesima simul & de aperiendis tabulis constituit, vt Vir summus IAC. CVIACIVS ad PAVLI *Sent. Recept. Lib. IV. Tit. IV. ad rubr.* notauit. Egit enim PAVLVS eo loco, cuius iam aliquoties mentionem fecimus, de vicesima & de ratione aperiendi ac post obitum testatoris publicandi testamenta, quae huius vestigialis causa praescripta erat, vt ex *eius tituli §. vlt.* manifestum est. Sed compiler de vicesima nihil, praeter illud vnum vestigium

gium in §. *ult.* seruauit: quia scilicet non obtinebat illis locis & temporibus illud vectigal, vt ait V. C. ANT. SCHVLTINGIUS. Certe IVSTINIANI aeuo cessabat haec, quam a vicesima petiuimus, ratio, cum, vt ipse inquit *l. ult. C. de Ed. D. Hadr. toll. vicesima e republica recessisset*: quod, V. C. PE. BVRMANNO *de Vectigal. Pop. Rom. c. II.* auctore, de tempore ante Iustinianum capiendum esse, verisimilius videtur.

§. XIII.

Acta, dum condabatur testamentum, conficiebantur ab Actuario, vel exceptore.

Sequitur, vt de forma testamenti publici, quod apud acta conditur, dispiciamus. Et apparet, HONORIVM in *l. 19. C. de testam.* interprete VALENTINIANO in *Nou. IV. l. 1.* (vid. supra §. II.) ad formam huius testamenti desiderare ACTA siue GESTA cuiuscunque iudicis, aut municipum. Acta publica nunquam conficiebantur ab ipso & solo magistratu vel iudice, quod sibi fingunt, qui hodie id multis locis fieri vident. Erant in Vrbe & in prouinciis magistratibus & iudicibus omnibus sui *Actuarii*, siue ab actis, vt mauult GV THERIVS *de Off. Dom. Aug. Lib. II. c. 13. scribae, censuales, librarii tabellionesque*, ea, quae coram Magistratu acta gesta que fuerant, in commentarios ad perpetuam fidem faciendam referentes, de quibus LIPSIVS *ad Tacit. Annal. Lib. V. Excurs. A.* Habebant etiam magistratus municipales suum exceptorem, qui gestis muni-

municipalibus conficiendis praeerat, *l. 151. C. Th. de Decur.* & quem ex officio prouinciali defensoribus ciuitatum administrare iubet IVSTINIANVS *Nou. XV. c. 3. §. 1.* Quam vero alienum ab omni ratione fuisse, monumenta publica, quae potiora testibus esse, *l. 10. D. de probat.* & perpetuam habere firmitatem, *l. fin. C. de re iud.* & testatorem securum de mentis suae supremo iudicio efficere debent *l. 19. C. de testam.* vnius personae fide constare: cum tamen vnus testis omnino non audiatur, *etiamsi praeclarae Curiae honore praeferat, l. 9. C. de testib.* Quare non tantum cum acta contentiosae iurisdictionis haberentur, semper aderant Magistratibus sui adfessores, vt CAR. BRETVS *de Iudic. ciu. c. 14.* docet, & luculenter confirmat locus LAMPRIIDII *Alex. c. 33. Fecit Curatores Urbis XIV. sed exconsulares viros, quos audire negotia cum Praefecto Urbis iussit, vt omnes, aut magna pars adessent, cum acta fierent.* Verum etiam cum apud Magistrum census testamenta publicarentur, monumenta interueniebant pro iuris ordine, vt IVSTINVS ait in *l. 23. C. de testam.* De curialium in gestis municipalibus conficiendis necessaria praesentia iam supra (§. IV. & IX.) diximus, eamque animaduertimus in forma Gestorum iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta allegentur, apud MARCVLFVM *Lib. II. form. 37.* Quae cum ita sint, verissime Pontifex

D

INNO.

INNOCENTIVS III. rescripsit in c. 28. X. de testib. Et canonica & CIVILIA IVRA sequentes distinctius imbibemus, ne VNIVS IVDICIS, QVANTAEVNOVE FVERIT AVCTORITATIS, verbo credatur in causis, sine SVPER TESTAMENTIS, sine SVPER ALIIS QVIBVSLIBET agitentur.

§. XIV.

Refellitur dissentientium argumentum a testamento Principi oblato ductum.

At vulgo negant actuario, negant adfessoribus opus esse, dum testamentum apud acta publicatur. Sufficere solius iudicis praesentiam, ex ipsa l. 19. C. de testam. manifestum putant, non tantum ob verba, cuiuscunque iudicis, sed etiam quia testamentum actis iudicis insinuatum comparetur testamento, quod precibus Principi oblatis insertum mera fide, solius Principis conscientiam teneat, eoque omnium testamentorum solennitatem superare videatur. Verum quibus ista placent, hi fere sunt, qui se scire leges existimant, si verba legum teneant, non earum vim ac potestatem. Eant illi & IAC. GOTHOFREDO ad l. 6. C. Tb. de inoff. testam. auctore discant, genuinam l. 19. C. de testam. speciem & sententiam esse de mutua coniugum inter se institutione, seu ἀλληλοκληρονομία, per libellum Principi oblata, nec ab ipso recepta, sed tacite admissa: inde vero enatum esse novum ac singularem testandi modum quibuscunque personis indultum: Omnibus praestandum esse censemus

mus, ut libero arbitrio, cui testandi facultas suppetit, successorem suum oblati precibus possit declarare. Discant porro, verbis illis, insertum mera fide, precibus, indicari institutionem precibus Principi oblati insertam, plena fide, plenissima animi contestatione, vice omnium solemnitatum, ac proinde stabili, ut mox dicitur, stabile sciat esse, quod fecerit. Animum deinde aduertant ad verba: inter tot nobiles probatasque personas, etiam conscientiam Principis tenet: & quae sequuntur: qui nobis mediis & toto iure, quod in nostris est scriniis constitutum, teste succedit. Intellegant, his verbis significari preces Principi oblatas, in Consistorio confidenti inter consistorianos Comites, in quibus erat & Quaestor, sub cuius dispositione erant leges dictandae, & preces auribus Principis intimatae conscientiam eius tenebant: quae preces tractabantur & adseruabantur in sacris scriniis libellorum & memoriae, vna cum constitutionibus & rescriptis Principum. Noscant tandem, sufficere, si Princeps illas preces, quibus defunctus successorem suum declarauit, in Consistorio acceperit, admiserit, atque eae in scrinia eius relatae fuerint, licet Princeps ad eam institutionem sibi oblatam precesque intimatas nihil rescripserit, neque heredem institutum habere, quod pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare. Hanc rationem illius testandi

D 2

generis,

generis, quod HONORIVS omnium testamentorum solennitatem superare voluit, si perspexerint, desinent tandem iudici, si non scultetis suis rusticanis, plus auctoritatis tribuere, quam HONORIVS &, qui constitutionem eius suam fecit, IVSTINIANVS in recipiendis testamentis vsurpare voluerunt. Et quanquam Princeps, si velit, potest solus testamentum recipere, eaque voluntas Principis superat omnem solennitatem: erubescant tamen illi, etiam STRYKIO *de Cautel. Testam. c. 7. §. 28.* graui monitore, legum Arbitro ministros legum aequare, & summis inferiora, quod faciunt, miscere tandem reuereantur.

§. XV.

Remouetur obiectio, quod de solennitate Gestorum conficiendorum iure Iustiniano nihil definitur.

Nihili quoque faciendum est ratiocinium, quod a verbis, *cuiuscunque iudicis*, arcessunt, quasi ea solam iudicis personam insinuationi testamentorum recipiendae necessariam esse significant: cum expresse desiderentur *ACTA cuiuscunque iudicis, aut municipum*. Ad acta vero conficienda opus esse aetuario siue exceptore & requiri adfessorum praesentiam, paulo ante (§. XIII.) probauimus. Sed vulgatae tamen opinioni haud parum suffragari videtur id, quod in iure Iustiniano nihil de forma & solennitate actorum siue gestorum a iudice aut magistratibus municipalibus conficiendorum definitur, neque constitutio illa HONORII de tribus principa-

cialibus & exceptore adhibendis, cuius aliquoties (§. IV. IX. & XIII.) mentionem fecimus, in Codice repetitae lectionis inuenitur. Sane in *l. 2. C. de Magistrat. municip.* nihil vltra statuitur, quam: *Magistratus conficiendorum actorum habeant potestatem.* Verum nec abrogauit IVSTINIANVS veterem in actis conficiendis iuris ordinem, quem, vt alia multa satis nota certaue, quae dispositione non egebant, describere superuacuum duxit &, quae hodie extant, actorum illo aevo percriptorum monumenta, quae iam supra (§. XII.) laudauimus, & quorum exemplum in calce huius dissertationis adferemus, manifestum faciunt, antiquam obseruationem mansisse, vt magistratui municipali cum exceptore adessent quatuor minimum summates ex curialibus, siue principales.

§. XVI.

Hoc, quo diximus, modo si fiant acta, recte ^{Nullis} negatur, testes requiri duo tresue, ad probandam ^{testibus} testamenti oblationem iudici factam. Eadem ^{opus in} omnino ratio est testamenti & donationis ^{testamen-} apud acta ^{to, quod} publicatae, de qua Imperator ZENO *l. 31. C. de do-* ^{fit apud} ^{acta.} *nat. In donationibus, ait, quae actis insinuantur, non esse necessarium iudicamus vicinos, vel alios testes adhibere. Nam superfluum est priuatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant.* Neque vero con-

trarium vel ex *l. 19.* vel ex *l. 27. C. de testam.* vt quibusdam veterum fuit visum, colligi potest. Quod enim ibi *in fine* dicitur: *Nec institutus heres pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare*: id accurate docuit TABOR *de testam. Principi aut Comiti oblato c. 2. §. 15. & c. 3. §. 9.* non pertinere ad probationem insinuationis, sed vt oblationem *ex voluntate defuncti* factam idoneis testibus ostendat heres, si quidem infcio defuncto, aut non consentiente, tales preces infero iis testamento Principi oblatas esse ab alio, contendat aduersarius. Nisi vero disiunctiuam orationem commiscere velimus cum copulatiua, equis in *l. 27. C. de testam.* verba haec, *vel per testes idoneos non minus tribus, vel inter acta manifestauerit*, ita interpretanda esse persuadeat, vt reuocatio testamenti facta in iudicio, tum demum valeat, si & apud acta eam voluntatem declarauerit testator & simul testes adhibuerit? Vt proinde frustra cum BALDO a reuocatione ad insinuationem testamenti argumentum ducatur.

§. XVII.

Testamentum vel apud acta nuncupatur, vel domi
 Illud porro quaeri solet, vtrum testator supremam suam voluntatem apud acta publicare non minus recte possit per scripturam, quam per nuncupationem? Et videtur quidem non nisi nuncupatiuum testamentum admitti, tum, quia in *l. 19. C. de testam.* diferte

diserte aequiparatur testamentum actis publicatum ^{scriptum} ^{actis in-}
 testamento priuato per nuncupationem condito, ^{sinuatur,}
 tum quia in VALENTINIANI Nouella IV. l. 1. ^{Et quo-}
 dicitur, *licere per nuncupationem, licere municipalibus modo?*
gestis iudicia suprema componere, & omnino pluri-
 num differt compositio, siue publicatio apud acta,
 qua conditur testamentum, a publicatione siue insi-
 nuatione testamenti iam solenniter confecti. (S. II. &
 XI.) Verum nihil obstat, quo minus & testamen-
 tum, a testatore vel eius voluntate ab alio scriptum,
 nec a testibus, vt fit in priuato solenni, subscriptum,
 apud acta publicetur, eaque publicatione auctorita-
 tem publicam actorum obtineat, & sic apud acta
 componatur. Modo fiat publicatio, id est recitatio
 siue lectio vltimae voluntatis in scriptis oblatae, quam
 in omnibus instrumentis, siue scripturis, quae gestis
 allegarentur, obseruatam fuisse, omnia, quae ad no-
 stram aetatem perdurarunt, actorum veterum exem-
 pla loquuntur. Hinc vero constat ratio, quare pu-
 blicatio testamenti actis, siue apud acta iudicis, aut
 municipum facta cum ea, quae fit auribus priuato-
 rum, in *d. l. 19.* comparetur. Itaque apertum offer-
 re oportebat, aut, si obsignatum offerretur, aperiri
 testamentum, vt recitatione facta publicaretur, i. e.
 gestis publicis infereretur. Nullum vero dubium
 est, recitatum & publicatum testamentum signo pu-
 blico obsignatum esse, antequam reponeretur in ar-
 chi-

chium: quoniam & in publicatione post mortem testatoris facta idem obseruatum esse intelligitur ex PAVLI *Sent. Recept. Lib. IV. Tit. VI. §. 1.*

§. XVIII.

*Testa-
mentum
apud
acta num
feri pos-
sit per
procura-
torem.*

Quodsi testamentum etiam in scriptis oblatum recte apud acta conditur, alia nascitur quaestio, anne idem aequè fieri recte queat per procuratorem? Haud iuuat repetere argumenta, quibus STRYKIVS olim singulari dissertatione, postea *Cautelis testamentorum c. 8.* inserta, quaestionem eam adfirmavit contra communem opinionem. Sufficient duo potiora: alterum a testamento Principi per libellum oblato, quam oblationem ab alio fieri potuisse secundum voluntatem testatoris, paulo ante (§. XVI.) obseruauimus: alterum, quod forma Gestorum apud MVRCVLFVM *Lib. II. Form. 37.* suggerere videtur. In hac enim animaduertimus prosecutorem, hoc est procuratorem, mandato exhibito & recitato, testamentum gestis allegare. Verum quo minus ab eo, quod approbatio & confirmatio tacita Principis tribuit, vltimae voluntati precibus insertae & in sacris scriniis receptae, putemus argumentum procedere ad testamentum, quod fit apud acta iudicis vel magistratus inferioris, illa nos mouent, quae §. XIV. disputauimus. Ista Principis approbatio *omnium testamentorum solennitatem superat*, adeoque testamenti etiam

etiam apud acta conditi solennitatem supergreditur. Et nimium vtique foret, sine lege expressa remittere praesentiam testatoris, quem, si priuatorum auribus supremum mentis suae iudicium committit, oportet conspici a testibus, l. 9. C. de testam. vbi, si non speciali privilegio iuris observatio relaxata est, & testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt, nullo iure testamentum valere dicitur. Quod vero ad formam illam Gestorum a MARCVLFO Monacho servatam attinet, ea ad testamenti antea rite confecti & a testatore cum testibus conscripti publicationem spectat, quod intelligitur ex verbis magistratus, qui post recitationem testamenti, donationis aut cessionis profecutori gesta sibi edi ex more postulanti respondet: *Et quia epistola* (i. e. charta s. instrumentum, vid. CAR. DV FRESNE. v. *Epistolae & SCIP. MAFFEIVS Histor. Diplom. Append. p. 158.*) *donationis aut cessionis seu testamenti & mandatum in te conscriptum per ordinem condita & bonorum hominum manibus roborata atque signata manifesta esse cognouimus: siue, vt est in formulis LINDENBROGII, form. 73. Quia testamentum & mandatum inde conscriptum per ordinem conditum & bonorum hominum manibus roboratum atque signatum manifeste cognouimus.* Idemque ex ipsis testamenti & mandati praemissis formulis apparet. Hanc vero publicationem & depositionem testamenti legitime conditi

E

conditi

non fruct.
 conditi per alium peragere licuisse, patet ex *l. 2. C. quemadm. testam. aper.* (supra §. IX.) de qua publicatione sola idem ait IAC. GOTHOFREDVS *ad l. 4. C. Th. de testam.* quem STRYKIVS *l. c. §. 23.* frustra in rem suam citat. Enimuero cum testamentum priuatum rite in scriptis conditum, propria solennitate proprioque iure constaret, eius publicatio apud acta solum probationis & custodiae causa suscipiebatur. At, quae apud acta fiebant, testamenta formam & subsistentiam accipiebant ab ea publicatione, qua componebantur. (§. II. & XI.) Quare veteres notarunt *ad l. 19. C. de testam.* referente CYNNO *in b. l. ordinationem testamenti in actis factam operari duos effectus; scilicet ordinationem ac valorem testamenti, & publicationem, ut perinde sit, ac si fuerit publicatum.* Priorem illum & praecipuum effectum voluntas testatoris capiebat a nuncupatione, quae non poterat fieri, nisi ab ipso testatore. Alter effectus a publica fide actorum proueniebat, qui proinde non minus obtineri poterat, si testamentum legitime factum ab alio, cui mandauerat testator, actis inlinuaretur.

§. XIX.

Testamenta, quae apud acta hodie s.
 Non videbimur aquis rerum arbitris operam luisse hac de testamentis publicis, quae apud acta sunt, commentatione, qua formam eorum iure Romano definitam exposuimus. Constat enim inter omnes

omnes, qui sibi turpe esse intelligunt, ius, in quo
 versantur, ignorare, praeter veterem illum, post-
 quam testamenta apud maiores nostros inualuerunt,
 ultimam voluntatem publicandi ritum & mores pa-
 trios, iure peregrino passim magis minusue permix-
 tos, plerisque locis vsu vigere testamenta, quae apud a-
 cta sunt iure Romano. Huius vero generis supremas
 ordinationes cum, vel ipsa ratione recta dictante, o-
 mnino iudicare oporteat secundum ius Romanum,
 interest sane, formam testamentorum publicorum
 hoc iure descriptam cum cura explicari. Plurimum
 enim falluntur, ME VIO, cui lubentissime testimo-
 nium denunciamus, iudice, *comment. in Ius Lubec.*
Part. II. tit. I. art. 2. n. 86. f. qui, quoniam haec
 testamenta sine testibus subsistunt, omnes in iis so-
 lennitates remissas esse dicunt. Id vero, ait idem
 Iurisconsultorum, qui in foris Germaniae regnant,
 facile princeps, esse constitutioni *l. 19. C. de testam. &*
rationi, quae vetat dispensationem in vno factam
 prorogare ad non expressa, *l. 4. D. de legat. praest. &*
testamentorum fidei aduersari: cum fieri haud pos-
 sit, vt ea a captionibus & falsitatibus libera maneant,
 si qualis qualis hac in re voluntas cuiusuis sufficeret.
 Qui secus existimant &, nescio quam, siue gentium
 siue patrii iuris simplicitatem praetendunt, eo pro-
 gressi, vt vni personae iudicis vel actuarii totam te-
 stamenti fidem committant, illi, nisi omnes iudices

*unt, qua-
 tenus se-
 cundum
 ius Ro-
 manum
 iudican-
 da sint?*

E 2

aut



aut actuarios ἀναμαρτύρους manibusque ad munera truncis praestent, viderint, quibus periculis civium fortunas & ipsorum decedentium voluntates exponant. Bona illa praesumptio bonitatis civiliter ita capienda est, ne per eam peccandi detur occasio. Et ingenue fatemur, nos neque ius illud gentium perspicere, quod contra sentientes in ore gerunt, & morem eum ignorare, quo maiores nostri testamenta soli iudicis fidei & conscientiae crediderint. Aliter omnino illa quantiuis pretii SPECVLA veterum Germaniae morum, SVEVICVM c. 23. & SAXONICVM Lib. I. art. 52. & ipsa testamentorum coram iudice factorum exempla, quae tulerunt aetatem, existimare nos iubent.

§. XX.

Denique vt & illum morem attingamus, quo testamenta coram iudice ad testatoris decumbentis vel infirmi domum veniente, aut coram adfessoribus iudicii eo missis fieri solent, parum convenit, quibus ille initiis & qua iuris, si civitatum iura singularia seponimus, auctoritate nitatur. Sane in l. 19. C. de testam. nullum eius moris vestigium apparet, neque l. 7. D. de manum. vind. sufficiens argumentum praebet acutius cernentibus, vt, quia manumissiones fieri potuerunt extra locum iurisdictionis & in transitu, idem modus etiam placuerit in testamentis condendis,

Mos domi testamentum condendi coram iudice vel adfessoribus, unde At. & quae in eo observanda?

dis, favore vltimarum voluntatum hoc ita ferente, sicut in manumissionibus illud poposcerit fauor libertatis. Ab antiquis vero Germanorum institutis, quae senio aut morbo adfectis testamenti ordinationem negabant, nimis recedit hic testamenti ab aegroto condendi fauor, quam vt eum patriis consuetudinibus deberi credamus. Hoc solum itaque superest, vt cum BACHOVIO & HAHNIO *ad Wesenbec. tit. de testam. ord. num. 10.* originem quaeramus in *l. 22. D. de testib.* vbi VENVLEIVS *Libro II. de officio Proconsulis* scribit: *Curent magistratus cuiusque loci testari volentibus & se ipsos & alios testes vel signatores praebere; quo facilius negotia explicentur & probatio rerum salua sit.* Enimvero, quae hodie extant, gestorum municipalium monumenta id certe perhibent, ad perficiendam rerum immobilium traditionem & publicam super ea rite facta actorum fidem obtinendam, mitti solitos a magistratu municipalis adsessores siue principales cum exceptore, qui absentem interrogarent ac deinde reuersi ad magistratum inter acta voluntatem eius exponerent. Vnde quod in aliis negotiis explicandis vsitatum fuit, tandem ad vltimas voluntates domi apud testatorem excipiendas prolatum esse videtur. Quare cum & haec testamenta condendi forma sit a iure & more Romano, facile patet, eam ex eodem iure non minus iudicandam esse, nisi cuiusque loci privilegio aliter

statutum. Vtique vel ratio monet, in testamentis hoc modo recipiendis vni siue adfessoris siue ipsius iudicis personae non esse plus tribuendum, quam in testamentis, quae publice in loco iudicii apud acta conduntur, omniaque ita peragenda esse, vt veritati maior crescat auctoritas, dum fraudi omnis, quae extra locum iudicii facilius est, occasio praecluditur: quorsum ea pertinent, quae de huius generis testamentis iterum notauit ME VIVS in *Ius Lubec. l. c. n. 113. ff.* Quis enim non videt, remota hac obseruatione incassum iactari testamentorum fauorem, nec vllorum magis interessè, quam ipsorum testatorum, eiusmodi licentiam non admitti, ne per captatorum artes vera iudicia saepe subuertantur.

T A N T V M.



MAN-

MANTISSA.

39

Ad Dissert. §. XV.

Gesta municipalia, quibus allegata est venditio fundi, in ciuitate Faentina anno DXL. a Magistratu cum quatuor principalibus & exceptore habita & subscripta. Ex SCIPIONIS MAFFEI *Histor. diplom. Append. num. VII. p. 157.*

Dominis praedicaulibus & colendis Parentibus, Defensori, Magistratibus

cunctoque Ordini Curiae Ciu 1) Faentinae Domnicus

v b sal 2)

Noueritis vv . . 3) me iure optimo & propria voluntate distraxisse & distraxi Montano v c Notario Sacri Vestiarii domn, 4) id est omnem portionem meam mihi competentem ex fundi cui vocabulum est Domicilius cum edificio quem ex fundi qui appellatur Centum idem 5) portionem suam omnem in integro cum omnibus ad se pertinentibus: a quo omnem praetium placitum & definitum in praesenti percipi 6) auri solidos quadraginta, vt tenor continet instrumentorum, que apud Rauennati vrbe confecta sunt; & quia solui 7) traditio ei detur. Ideoque Domini praedicaules 8) accepta hanc epistolam meam dignauit 9) quolibet modo aut quolibet tempore, quando eidem emptori placuerit, solemnem traditionem celebrari, vt agnoscat ad se omnia pertinere: nomen quoque meo ex apodypticis 10) publicis eximi faciatis, & nomen ss empto-

1) Ciuitatis. 2) Vir honestus salutem. 3) Viri laudabiles. 4) domini. 5) item. 6) percepi. 7) soluit. 8) praedicabiles. 9) dignabitur. 10) polyptychis, *vid. Dissert. §. XII.*

emptoris in loco prosternei faciatis. *Quam epistulam traditionis debin mutato dominio 11) Stefano v b For 12) Rogatario meo scribendam dictavi, in qua subter manu propria signum feci, & testes vt suscriberent conrogavi, & ad vos direxi. Sub die 11. nonarum Ianuariarum Indictione tertia, sexies p e Paulini iun v c 13) Signum Domnici v b ss venditoris litteras nescientis.*

Item suscribitio testium.

Floris vc huic Epistulae traditionis fundi Domicilii cum edificio, vel censum quod Viginti & quinque appellatur, rogatus a Domnico vb ss 14) venditore ipso praesente testis suscribfi.

Reparatus vc Praepositus Curforum dominicorum huic Epistulae traditionis portionis fundi Domicilii cum edificio vel centum viginti & quinque appellatur rogatus a Domnico vb ss venditore ipso praesente testis suscribfi.

Paulus vc Argentarius huic Epistulae traditionis portionis fundi Domicilii cum edificio, vel censum quod Viginti & quinque appellatur, rogatus a Domnico vb ss venditore ipso praesente testis suscribfi.

Mag d. 15) Lecta instrumenta 16) venditionum simulque & Epistulam traditionis in actum secundum petitionem Montani vc persuncti nunc de praesenti Firmilianus Vrsus, Flavius Seuerus iun vv ll 17) Principales vna cum Deufdedet Exc 18) ad Domni-

11) de immutato dominio. 12) Forensi. 13) post Consulatum Paulini iunioris Viri Clarissimi. 14) Viro honesto supraferipto. 15) Magistratus dixit. 16) vid. Dissert. §. XVII. 17) iunior Viri laudabiles. 18) Exceptore.

Domnico vh . . . 19) vt dum eidem instrumenta venditionum vna cum epistulam traditioniam ostense relicteque fuissent, si que facta esse cognoscet, ei quid responsi dederit, actis renunciatur. Et q 20) ad Dominicum v h venditore itum fuisset, & paulo post regressum, public . . . pp qq ss 21) Firmiliano Vrso & Flauio Seuerio iun vv ll Principalibus, sed & Deusdedit Exceptore dixerunt. Sicut praecipit gr va 22) perreximus ad Dominicum v h ss venditore; cuique dum a nouis 23) eidem instrumenta venditionis simulque & epistulam traditionis ostense relicteque fuissent, ita dedit responsum: se easdem Stefano v h post scribendas dictasse, & ipse in eisdem subrus signum fecisse, testesque qui inui 24) suscriberunt ipse conrogasse professus est . . . quibus se distraxisse & distraxit, adque tradedisse & tradidit bis idem Dominicus v h eidem Montano vc Notario Sacri Vestiarii sub duplariae rei euectionis 25) nomine, & rei quoque melioratae, omniaque textus ipsorum instrumentorum venditionem vel epistulae traditionis ad singula tenor continent scribtura. Quare etiam gestis . . . gr va allequid 26) desiderat bis actis profitemur. Mag. d. Capta responsionem 27) praesentum Firmiliani Vrso, & Flauii Seueri iun vv ll Principalium pariter-

F

19) pergant. De more mittendi principales cum exceptore ad domum absentis dictum Dissert. d. XX. Sic in Gestis municipalibus apud MAFFEIVM ibid. n. II. p. 138. Mag. dd. (Magistratus dixerunt) Quoniam nobis manendum est in actibus publicis & non possumus egredi . . . Nimirum & ibi mittuntur principales, qui videant traditionem fieri. 20) quum 21) praesentibus quibus supra. 22) grauitas vestra. 23) nobis. 24) inibi. 25) euictionis. 26) Grauitas vestra aliquid. 27) responsione.

terque & Deusedei Excep. quid nunc amplius desideratur? Montanus vc Notarius Sacri Vestiarii dixit. Quoniam omnia ordine suo que ad firmitatem ipsorum Instrumentorum venditionum vel epistulae traditionis . . . pertinebat, rite adimplita 28) sunt, ideoque peto gratiam optimi Mag. vt gesta mihi propter monimen meum a competenti officio edi iubeatis ex more. Pompulius Plautus Mag. dixit: vt petisti, chartae tibi propter monimen tuum a competenti officio dabuntur ex more.

Pompulius Plautus . . . 29) . . . rogatus gesta apud me habita recognoui.

Flavius Florianus vc his gestis apud nos habitis subscripsi.

Firmilianus Vrsus v l his gestis apud nos habitis subscripsi.

Flavius Seuerus iun v l his gestis apud nos habitis subscripsi.

Quiriacus . . v h his gestis apud nos habitis subscripsi.

Deusedit Exceptor ciuitatis suae bis gestis edidit rogatus.

Ad §. XVIII.

Ex MARCVLFI Lib. II. Form. 37. apud BALVZIVM
Capitular. Reg. Francor. Tom. II. p. 425.

Gesta iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta allegentur.

Anno illo, regnante Domino nostro Rege illo, sub die illo, in ciuitate illa, adstante viro illo laudabile defensore & omni curam 30) illius ciuitatis, vir magnificus

28) adimplita. 29) Defensor ciuitatis Faentinae, post quem subscripserunt quatuor principales, quorum tertius elogium viri honesti nomini suo adscripsit, de qua principalium appellatione dictum in Dissert. §. IX. 30) curia, pro curialibus.

*cus ille prosecutor dixit: Peto, optime defensor, vos-
que laudabiles curiales atque municipes, ut mihi co-
dices publicos 30) patere iubeatis. quaedam enim in
manibus habeo, quae gestorum cupio allegatione roborari.
Defensor & curiales dixerunt: Patent tibi codices pu-
blici. Prosequere quod optas, dicere non moreris. Vir
magnificus prosecutor ille dixit: Venerabilis vir aut
inluster vir ille per chartam mandati sui mihi iniunxit,
ut illam donationem testamenti aut cessionem, quam ad
basilica ad loco sancto illo aut inlustri viro illo ad prae-
sens aut post discessum delegavit, in vice sua, ut mos est,
gestis municipalibus ipsam donationem debeam allegare.
Vir honestus 31) defensor dixit illi: Mandatum quod
in te conscriptum habere dicis nobis ostende, vel in
praesente recitare. Et ille prosecutor hoc modo recitavit.*

Textum mandatum.

*Domino magnifico fratri illo ille. Peto & suppli-
co caritati tuae ut in vicem meam epistolam donationis
aut testamenti seu cessionis quod de rebus meis illis ad
basilica illa pro animae meae remedium aut inlustri
viri illius post discessum meum vel ad praesens delegavi
in civitate illa publice prosequere & gestis municipali-
bus, ut mos est, eam debeas allegare. Propterea tibi
hunc mandatum conscripsimus, sicut superius continetur,
taliter prosequere & firmare debeas; & quicquid ex-
inde egeris gesseris, ratam & definitum apud nos in
omnibus esse cognoscas. Factum mandatum tunc, ibi,
anno illo.*

Post recitationem mandati, vir honestus ille de-
fen-

F 2

30) polyptycha. 32) Viri honesti elogium hic etiam magistra-
rii municipali tribui videmus.

fenfor dixit: *Mandatum quidem recitatum est; sed scripta donatione, testamentum, aut cessione, quam prae manibus habere dicis, nobis praesentibus recitetur, 33) & ut postulas gestis publicis firmetur. Quam vero donationem ille professor recitavit. Post recitationem vero vir laudabilis ille defensor & curiales dixerunt: Epistola qui recitata est, gestis publicis inseratur, & quod ille prosecutor vellit & petit, gesta ei publice datur. Ille prosecutor dixit: Sufficit mihi, bone defensor, ut donatio quae recitata est, si mihi gesta tradere iubeatis. Ille defensor dixit: Et quia epistola donationis aut cessionis seu testamenti & mandatum in re conscriptum per ordinem condita & bonorum hominum manibus roborata atque signata, manifesta esse cognouimus, dignum est, ut gesta ex hoc conscripta atque subscripta tibi tradatur, & ut in arcibus 34) publicis memoranda seruetur. Edatur super ordine & mandatus suus in loco, & totum textum, & manumissoris epistolae scribantur & postea defensor & curiales ciuium & reliqui eam subscribantur atque signentur. 35)*

Ex *Formulis* FRID. LINDENBROGII num. 73.
apud BALVZIVM *ibidem* p. 531.

Gesta iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter testamenta allegentur.

Anno illo regnante Rege illo, sub die illo, in ciuitate illa, adstante viro illo laudabili defensore & omni curia publica, vir magnificus ille prosecutor &c.

Textus mandati:

Domino magnifico fratri illi, ille. Peto & supplico atque

33) *Vid. dicta in Dissert. §. XVII.* 34) archinis. 35) *Vid. Dissert. §. XVII. in fine.*

atque tuæ caritati iniungo, vt in vicem meam ciuitatem illam adeas, & donationem illam quam ego partibus illius de locis nostris nuncupatis illis sitis in pago illo per meum legitimum instrumentum confirmaui, prosequi & gestis municipalibus coram curia publica & defensore facias allegari. Propterea tibi hoc mandatum conscripsimus &c.

Post recitationem mandati, vir honestus ille defensor dixit. Mandatum quidem recitatum est, sed scriptum testamentum, quod prae manibus habere dicis, amanuensis accipiat, & nobis praesentibus recitetur, & vt postulas gestis publicis firmetur. *Qui statim accipiens, per ordinem illud recitauit. Post recitationem vero ille persecutor dixit. Quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo vt publica monumenta suscipiat.* Vir laudabilis ille defensor & curiales dixerunt. Testamentum quod recitatum est, gestis publicis inseratur, & quod ille persecutor velit & petit, gesta ei publice dentur. Ille persecutor dixit. Sufficit mihi bone defensor, si testamenti, quod recitatum est, mihi gesta, vt mos est, tradere inbeatis. Defensor & ordo curiae dixerunt. Quia testamentum & mandatum inde conscriptum per ordinem conditum & bonorum hominum manibus roboratum atque signatum manifeste cognouimus, aequum est vt gesta ex hoc conscripta & a nobis subscripta tibi ex more tradantur, & in archiis publicis seruentur, vt facilius, quod superius insertum est, diuturno tempore maneat inconvulsam. Edatur ordine & mandatum & totus testamenti textus, & postea defensor & curiales ciuium & reliqui subscribant atque signent.

Ad §. §. XX. & XXI.

Quae rationes formam testamentorum apud acta cum in loco iudicii, tum extra eum condendorum, in Electoratu Saxoniae a D. IO. GEORGIO II. in *Decisionibus casuum Iuris dubiorum* anno MDCLXI. promulgatis definitam produxerint, non ingratum erit intelligere ex *Regestis* illustris illius confessus, qui gloriosissimae memoriae Principis iussu, *Decisionum* illarum conficiendarum causa, institui coeptus est Dresdae die XXIII. Iulii anno MDCLX.

Acta in Sessione XII. die XXXI. Iulii horis antemerid.

Quaestio III.

An validum sit testamentum, vt iudiciale, confectum & infinuatum coram solo iudice sine assessoribus & scabinis?

Negat Facultas, Finckelth. obf. 63.

Affirm. Scab. Dn. Carpz. P. 3. C. 3. d. 15. & lib. 6 Resp. 12.

Herr Praeses: a) bey dieser *Quaestio* mouire ihn Verb. Ger. Ordn. T. 2. §. und also versehen &c. darinn forma iudicii beschriben ist, das solches nicht mit einer, sondern mit etzlichen Personen besetzt seyn solle, formam autem dare esse rei: darzu kame L. omnium 19. C. de Testam. ibi inter tot nobiles probatasque personas, daraus zu sehen, das auch in testamento Principi oblato etzliche Personen erfordert werden, dabero er betwogen würde pro negatiua zu votiren.

Der von Miltitz: b) es sey c. 28. X. de Testib. wie auch c. II. X. de probat. klar: daraus zu ersehen, das die Testamenta denen Actis solten einuerleibet werden, vt de voluntate constet, quod etiam fieri possit coram vno. *Votire* deswegen pro affirmatiua.

Herr Dr. Pfretzschner c) sagt: es bewege ihn pro affirmatiua L. omnium 19. C. de Testam. darinnen keine Assessores erfordert würden, in Const. 3. Part. 3. wäre ein casus specialis, do die Gerichte ins Haus zum Krancken geführt würden.

Herr Berlich: d) 1) die Frage sey nicht de iudicio constituendo, darvon die Verb. Ger. Ordn. rede, sed de constituto. 2) *Process-Ordn.* gehe ad contentiosa: obligatio & infinuatio testamenti aber sey volun-

a) Appellations-Praesident Heinrich von Einstedel.

b) Hofrath von Miltitz. c) D. Nicol. Pfretzschner, Hofrath.

d) Hofrath Burchard Berlich.

luntariae iurisdictionis. 3) Man hette eben in P. 1. decidiret, das attestatum folius iudicis ob autoritatem eius validum sey, cur non etiam hic? 4) Käme hierzu obseruantia, do von den Schöffern dergleichen Testamenta angenommen würden, welche alle cassirt werden müßten, wann pro negatiua solte decidirt werden, diewegen votiret er cum ceteris pro affirmatiua.

Herr Erbmarschall, e) die Const. 3. P. 3. erfordert nicht viel Personen, sondern das Gerichte, welches auch ohne Schöppen geschehen könne, L. omniaum 19. bezeuge auch, laß dem Imperatori soli ein Testament insinuiret werden könne, concludit pro affirmatiua.

Der von Köteritz f) halt die Verh. Ger. Ord. tit. 2. vor klar, dasß darvon nicht abzuweichen, sintemahl sie nicht distinguire inter voluntariam & contentiosam iurisdictionem, consentiret deswegen cum Duo Praefide, stellet aber dahin, ob man casus praeteritos a futuris unterscheiden wolle.

Der von Werthern g) consentit cum affirmantibus.

Leipzig h) distinguiret inter perfectionem testamenti & insinuationem: primo casu erfordere er cum iudice etiam Notarium, weil maior solemnitas erfordert würde, in posteriori non, quia constare potest de insinuatione ex actis & attestato Iudicis, nec tunc opus esse Notario.

Wittenbergk, i) es würde erfordert, dasß die Testamenta vor Gerichte solten aufgerichtet werden: solte er nun ein Gerichte seyn, so müßte ein Notarius darbey seyn, wie aus der V. G. O. Tit. 2. zu sehen, sonst sey es kein bestelt Gerichte, und finde nicht, dasß die Amtsbesetzung darvon excludiret wären, so schuldig einen Ambr-Actuarium zu halten, denn wenn es nicht geschehen, wären die Acta nulla, quia non constat de legalitate eius, qui acta scripsit, hält aber nicht dafür, dasß auch Scabini darbey seyn müssen.

Dresden k) adhaeret distinctioni Dn Philippi, belt aber dafür, dasß ein Actuarius darbey sein müße, & concludit pro affirmatiua.

Herr Praeses conformiret sich mit denen, die dafür halten, dasß cum iudice ein Notarius erfordert würde.

Der von Miltitz idem, hält dafür, dasß ein Actuarius non attendit

e) Curtz von Löser.

f) Stifts-Rath Hans Haubold von Koetteritz.

g) Appellation-Rath Friderich von Werthern.

h) D. Johann Philippi.

i) D. Christoph Bressler.

k) Stadtrichter Carl Frider. Heymann.

ta distinctione Dni Philippi zu adhibiren, weil die Bauren doch nichts erinnern könnten, Scabinos autem excludit.

Herr Dr. Pffretzschner idem.

Herr Berlich idem. Jedoch hält er darfür, daß bey denen von Adel, da man in Eil keine Notarios haben könne, die insinuation dem von Adel allein geschehen könne.

Herr Erbmarzschall: es sey eine obscuritas in verbo Richter, er verstünde allezeit, wann desselben gedacht würde, daß ein Notarius darbey seyn müsse, adhaeret alias distinctioni D. Philippi, daß in confectione testamenti auch Scabini darbey sein müssen.

Der von Köteritz erfordert gleichfalls bey der insinuation einen Notarium, bey der confection aber auch Scabinos.

Der von Werthern consentit cum Dno Berlichio.

Herr Dr. Philippi hält darfür, daß solus iudex gnugsam sey bey der insinuation, bey der confection aber erfordere er auch einen Notarium.

Wittenbergk mit Herrn Militzen, Berlichen und Werthern.
Dresiden conformat se cum Duo Philippi.

Conclusum:

Daß coram Iudice & Notario testamenta zu consiciren und zu insinuiren, excepto casu necessitatis, da man in Eil keinen Notarium haben könne wegen bevorstehender Todesgefahr. Item, wann einer von Adel einem Notario die administration der Gerichte zu verwalten anvertrauet, daß demselben gleichfalls insinuatio geschehen könne. Die vor dieser Zeit aufgerichtete Testamente aber coram solo iudice sollen gültig bleiben. (Hinc concepta Decisio Elef. Sax. XLV.)

In Sessione XXIII. die VII. Aug. horis pomeridianis.

Quaestio XVII.

An testamentum coram unico Scabino & Notario iudicii extra locum iudicii confectum valeat?

Affirm. Wittebergenses.

Herr Praeses: Constitutio Iudicii besteht 1) in Iudice, 2) in Scabinis, 3) in Notario. Weil nun Constitutio Gerichts-Personen erfordere und der Notarius keine sey, so müssen zwey Scabini seyn. Darzu käme, daß Notarius nichts iudiciren könne, sondern die Acten halten und registriren solle.

Der von Militz: in loco Iudicii sey es gnug, wenn ein Schöppe, iudicis Stelle vertritt cum Notario. Extra iudicium aber müssen zwey Schöppen cum Notario seyn.

Consentiant omnes per Const. 3. Part. 3. ibi: von Gerichts-Perf. (Hinc confecta Decisio Elef. Sax. LXXIII.)

ORNA.

ORNATISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

FRANCISCVS CAROLVS CONRADI IC.

Veteranus, quod militum genus *inuictum*
TULLIVS dixit, in certamen prodis. Ne-
mo nostrum a te flagitat specimen, ex quo
doctrina, quam tibi comparaueris, nobis pri-
mum innotescat. Quin ea perspecta est du-
dum & publicis etiam documentis probata
cum IVLIAE nostrae, in qua non sine mul-
ta industriae & virtutis laude olim vixisti, tum
GEORGIAE AVGVSTAE, in qua deinde exe-
gisti, quod vulgo vocari solet, curriculum A-
cademicum: si modo id nomen conuenit ei
tempori, quod tu longius, quam vel a paucissi-
mis fieri solet, in studiis prorogasti. Ita factum
est, vt nihil seu linguarum, seu disciplinarum
& artium, quarum ope in diuinarum huma-
narumque rerum scientiam penetrare se licet,
G in-

inexpertum reliqueris. In hac ipsa vero, in
quam nunc descendis, arena editurus es pul-
cherrimum exemplum, quo studiosi adole-
scentes ad conflictus publicos, a quibus mul-
ti si non penitus abhorrent, tamen sunt alie-
niores, acriter incendantur. Sicut enim ge-
nerosissimis iuuenibus, tuae fidei in vtraque
Academia commissis, non magis institutione,
quam viuendi ratione id omne, quod vel in
literis vel in moribus cultus atque elegantiae
est, antehac praeiustis: ita pluribus iam prod-
esse cupis, dum agis, quod omnes praecla-
rum & egregium sibi ducere oportet, qui in
Academia non frustra commorati esse, nec
bonas horas male collocasse videri gestiunt.
Maecte igitur hac laude, PRAESTANTISSIME
BOSSI, perge tibi persuasissimum habere, DEO
& virtute freto semper sat fautorum fore,
praemiaque laborum & bonae mentis longe
vberissima & fructus dulcissimos expecta. Vale.
Dabam in Academia Iulia Prid. Id. Mart.
MDCCXXXI.

Pulpita dum victor Iulea scandis in arce ;
Roma vetustatis porrigit arma Tibi.
Roma patet, referat penetralia cana vetustas,
Omne, materiam, concomitante petis.
Prima Tuis etenim Musis est meta laborum,
Ultima longaeui quae solet esse senis.
Omen inest rebus: dotes animumque senilem
Monstras, sed fato prosperiore, precor.
Scilicet vt sero Tua testamenta relinquis,
Scribaturque haeres tertius opto nepos.

Ita Nobilissimo Doctissimoque Domino
Respondenti, Fautori ac Amico suo
aestumatissimo gratulari ac prospera
quaeque adprecari voluit, debuit

A. W. DE CAMPEN,
Opponens.

Praefide CONRADI Iuleas itur ad arces,
Doctus & Astracae BOSSIVS arma mo-
uet.
Arma per antiquos pariter nostrosque polita,
Dignaque praesidio Praesidis arma sui.

Plau-

Plausibus hoc satis est : laudes meruisse fate-
mur,
Te, BOSSI, tanto Praefide digne Viro.
Sub duce CONRADI nemo nisi doctus in ar-
ma
Fertur, & Aenea sub duce Pallas agit.
Gratulor hinc merito : Tibi Curia tradat ho-
nores,
Curia iudicio semper amata Tuo.

His, Doctissimo Domino Bossio, Fau-
tori & amico suo aestumatissimo,
pro rostris Iuliae summa cum lau-
de disputanti applaudebat

IOANNES FRIDERICVS EISENHART
Spirens. LL. Cult. Opp.



Helmsedt, Diss., 7738/41

X 2309199



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



1741/11
16

DE

NTO PVBLICO

APVD ACTA

RAESIDE

CO CAROLO

NRADI

TO ET ANTECESSORE

ARTII MDCCXXXLI

VLEO MAIORI

DISPVTABIT

RVSV IACOBVS BOSSE

VNSVICENSIS.

ELMSTADII

IOH. DRIMBORN.

1741 (2. im. un. v. 265)

